

† R. P. Ioannes Power (1903-1954) (1)

(Prov. Baltimor.)



P. Procuratorem Hugonem Hahn, 53 annos in morte habentem, post quatriduum secutus est Praefectus studientium P. Ioannes Power, biennio aetate minor. Illo festo omnium Sanctorum cum collegii Esopus Rectore, A. R. P. Iosepho Comyns, autorhaedam ipse conducens, ibat Neo-Eboracum, ut funeri sui condiscipuli Patris Hahn interasset, cum exemplo prope oppidum Peramus, New Jersey, pectoris doloribus correptus est, vicinam cordis iam infirmi collapsionem indicantibus. P. Comyns itaque prooperavit ad proximum nosocomium *Bergen Pines Hospital*, et ibi carus confrater etiamtum potuit suam confessionem peragere ac cetera morientium sacramenta et auxilia recipere, antequam exhalaret animam.

P. Power erat natus in Brooklyn intra fines nostrae paroeciae de Perp. Successu, et ipse quoque, sicut iam alii multi pueri paroeciae, sensit vocem Iesu ad nostram familiam religiosam invitantis eique prompte obsecundavit. In professione habebat 21 annos et in ordinatione 26.

A Creatore ditatus dono linguarum, iam in studentatu Esopus idioma italicum tam bene addidicit, ut, finito Annapoli secundo novitiatu, mox associaretur Patribus communitatis Neo-Eboracensis S. Alfonsi, ad praedicandas missiones italicas exeuntibus. Referunt autem quondam auditos esse duos Italos intersese deliberantes, utrum concionator (fuerat P. Power) esset Panormitanus an Neapolitanus!

Tempore ultimi belli, qua cappellanus militum suaे patriae serviens, vidi Africam septentrionalem et Siciliam Italiamque meridionalem, ac famosus ille narrator operationum bellicarum Ernie Pyle haud semel in suis scriptis Patris Power mentionem laudativam facit.

A. 1948 mittitur in Brasilium, ut iuvenes missionales Vice-Provinciae de Campo Grande in ipso suaे activitatis campo edoceat secundi novitiatus disciplinas apostolicas, et post biennium, cum Vice-Provinciae Superior Pl. R. P. Gulielmus Gaudreau, hodiernus Rector Maior, in Provinciam revocaretur, P. Power eum in illo officio Vice-Provincialis excipit.

In nominationibus anni 1953 ipse quoque iussus est in Provinciam reverti et clericos studentes pascere salutis doctrina. Iam in illo itinere subitanea cordis affectio eum coëgit per breve tempus nosocomium adire; mox tamen grave munus solito suo fervore et optimismo suscepit et continuavit, donec nova syncope cardiaca vitae eius terrenae tam praematurum finem imposuit. Frater germanus

(1) Cf. *C.S.S.R. Chronicle*, Dec. 1954, p. 35.

P. Bernardus Power e communitate Annapolitana funeris Missam cantavit in sacello nostri studentatus Esopus, et Annapolitanus Rector A. R. P. Iacobus Clune funebrem sermonem pronuntiavit.

P. Ioannes erat amatus veneratusque ab omnibus qui eum noverant, et ob suam perfectam obedientiam peculiariter carus Superioribus. Sine mora sineque querela faciebat id quod facere iubebatur, et quo mittebatur, alacri animo properabat. Destinatus Missioni Brasiliae tanto ardore se dedit studio novae linguae lusitanae, ut vix elapsis duabus a suo in Terram S. Crucis adventu hebdomadibus, iam sine difficultate dominicales orationes habere posset. R. I. P.

C. H.